

Version latine n°3 : décadence de la peinture

En guise d'introduction à son livre consacré à la peinture, Pline l'Ancien se livre à une diatribe sur les travers de son époque. Il considère notamment l'évolution de l'art du portrait comme représentative de la dégradation des mœurs de ses contemporains.

Longueur LM : paragraphe entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.

Primumque dicemus quae restant de pictura, arte quondam nobili — tunc cum expeteretur regibus populisque — et alios nobilitante, quos esset dignata posteris tradere, nunc uero in totum marmoribus pulsa, iam quidem et auro, nec tantum ut parietes toti operiantur, uerum et interraso marmore uermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis. Non placent iam abaci nec spatia montes in cubiculo dilatantia : coepimus et lapide pingere. Hoc Claudii principatu inuentum, Neronis uero maculas, quae non essent in crustis, inserendo unitatem uariare, ut ouatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optassent deliciae. Montium haec subsidia deficientium, nec cessat luxuria id agere, ut quam plurimum incendiis perdat.

[Imaginum quidem pictura, qua maxime similes in aeuum propagabantur figurae, in totum exoleuit. Aerei ponuntur clipei, argenteae facies, surdo figurarum discrimine ; statuarum capita permutantur, uolgatis iam pridem salibus etiam carminum. Adeo materiam conspici malunt omnes quam se nosci. Et inter haec pinacothecas ueteribus tabulis consuunt alienasque effigies colunt, ipsi honorem non nisi in pretio ducentes, ut frangat heres furisque detrahat laqueus. Itaque nullius effigie uiuente imagines pecuniae, non suas, relinquunt. Iidem palaestras athletarum imaginibus et ceromata sua exornant, Epicuri uultus per cubicula gestant ac circumferunt secum [...], ii maxime qui se ne uiuentes quidem nosci uolunt. Ita est profecto : artes desidia perdidit, et quoniam animorum imagines non sunt, negleguntur etiam corporum. Aliter apud maiores in atriis haec erant, quae spectarentur ; non signa externorum artificum nec aera aut marmora : expressi cera uultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilicia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiae eius qui umquam fuerat populus. Stemmata uero lineis discurrebant ad imagines pictas. Tabulina codicibus implebantur et monimentis rerum in magistratu gestarum. Aliae foris et circa limina animorum ingentium imagines erant adfixis hostium spoliis, quae nec emptori refigere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis aeternae domus.]

Pline l'Ancien